

154, 155 et 156. *Juramentum voluntarium non procedit in causa ultimæ voluntatis, neque in causis matrimonialibus, nec etiam, ubi per confessionem partis constat de injustitia sententiæ.* — Deinde loquendo etiam de jurante, ac juramentum deferente, data regula limitatur in causa ultimæ voluntatis. In hac enim posse retractari sententiam latam ex juramento, etiam voluntario ac judiciali, si postea contrarium sit factum manifestum, constat ex l. ult. c. *de Rebus creditis*, ubi refertur talis casus, ac proinde Summarium breviter sic loquitur: « Causa ultimæ voluntatis falso juramento decisa, retractatur veritate reperta. » Atque legem illam habere locum in omni juramento, etiam voluntario, ac judiciali, notant omnes, ut inquit Mascardus loc. cit. n. 21. Et ratio est, quia in his, quæ ex testamento proficiscuntur, transigi non potest non inspectis verbis testamenti l. I. ff. *Quemadmodum testament. aperiant.* et l. *De his controversiis.* ff. *de Transactionib.* ergo nec jurari; cum jusjurandum voluntarium, ac judiciale, sit species transactionis, l. II. ff. h. t.

Tertio limitatur regula præmissa in causis matrimonialibus: nam in his post præstitum juramentum contra valorem matrimonii, adhuc potest quæri de veritate. Glossa in l. III. §. *Agatur.* ff. h. t. id probans ex c. *Lator.* 7. *de Sentent. et re judicat.* ubi decimum habetur, quod sententia lata contra matrimonium, nunquam transeat in rem judicatam; ac proin quodcumque revocetur, cum constat de errore. Jason cit., n. 6, allegans Hostiensem in c. *Mulieri.* h. t. Idemque ob paritatem rationis procedit in aliis casibus, in quibus sententia non transit in rem judicatam, de quibus suo loco.

Quarto limitatur quoad probationem per confessionem partis: si enim in foro contentioso constaret de injustitia sententiæ per confessionem illius, qui obtinuit sententiam vi juramenti a se præstiti, tunc cassaretur sententia illa etiam in foro judiciali. Abbas c. *Quia plerique.* n. 22. post Innocentium ibid. *de Immunit. Eccles.*; Mascardus d. concl. 956. n. 22. citans Castrensem in l. *Qui jurasse.* § 1. ff. *de Jurejurand.* Boerium quæst. 306. n. 3. et 4. et alios. Ratio est, quia sententia ob juramentum partis prolata, sustinetur ex sola præsumptione justitiæ: atqui contra quamcumque præsumptionem, etiam juris et de jure, admittitur probatio in contrarium per confessionem illius, in cujus

utilitatem jus induxit præsumptionem illam, ut dictum tit. præced. § 2. n. 54; ergo:

157. *Alia limitatio refertur.* — Addit Engel h. t. n. 32. quod probabilius, ac æquius sibi videatur, si quis per probationes in contententi paratas, nec alio rem indaginem, vel longiorem dilationem requirentes, demonstrare posset falsitatem juramenti voluntarii, aut judicialis, ab altera parte præstiti, ipsum audiendum esse. Rationem dat, quia in l. ult. c. *de Rebus creditis.* generaliter imperator statuit, neminem posse ex perjurio, etiam in juramento judiciali, commisso lucrum captare: « Ne cui (inquit) ex delicto impium lucrum afferre nostris legibus patiat. » Et quamvis juramentum voluntarium, et judiciale, contineat speciem transactionis, cit. l. II. ff. h. t. qualis propter instrumenta de novo reperta non rescinditur, l. *Sub prætextu instrumenti.* c. *de Transaction.* hoc tamen solum procedit, ubi læsio non est valde gravis: nam quod propter immodicam læsionem etiam possit rescindi transactio, tenet Fachineus lib. II. *Controvers. jur.* cap. xxvi. cum pluribus aliis; estque ex professo jam dictum supra lib. I. tit. XXXVI. *de Transactionibus.* § 4 n. 52. 56. et seqq.

158 et 159. *Ad juramentum litis decisorium requiritur, quod lis sit dubia, nec est deferendum, ubi de veritate negotii aliunde constat, nec valet consuetudo contraria; et cur?* — Quæritur III. Quenam requirantur ad juramentum litis decisorium, ejusque delationem? Resp. I. Ad juramentum litis decisorium requiritur imprimis, quod lis existat dubia, nec aliunde constet de veritate. Ita communis; et patet ex c. *Sicut.* 2. *de Probation.* ubi reprobata consuetudine in contrarium Pontifex declarat, quod « tunc demum ad hujusmodi (juramenti) sit suffragium recurrendum, cum aliæ legitimæ probationes deesse noscuntur: junctis concordantiis a Glossa ibid. §. *Cum aliæ,* relatis. Accedit ratio, tum quia jusjurandum est inductum ad lites dirimendas, l. I. ff. h. t. sicque frustra adhiberetur, ubi aliunde constat de veritate; tum quia « jusjurandum speciem continet transactionis, » juxta textum expressum in l. II. ff. h. t. Atqui transactio locum non habet, nisi de re dubia: nam « qui transigit, quasi de re dubia et lite incerta transigit, » prout habetur l. I. *de Transaction.*

Inferitur proinde, quod si de veritate negotii aliunde constat, puta, per testes legitimos, vel authentica instrumenta, non amplius cui-

piam sit deferendum juramentum: adeo, ut consuetudo contraria non valeat, atque expresse reprobetur cit. c. *Sicut.* 2. *de Probation.* Et ratio est, tum quia talis consuetudo est contra naturalem rationem, quæ non admittit superflua: Deus enim, et natura, nihil faciunt frustra. Imo « per quam iniquum est, supervacua cautione onerari » quempiam; prout ex lumine naturali cognovit jurisconsultus in l. *Hæc stipulatio.* ff. *Ut legatorum nomin. caveat;* tum quia talis consuetudo est etiam contra jus divinum, secundum quod non juratur, nisi ex causa rationabili. Abbas cit. c. *Sicut.* n. 1. et 2. *de Probation.* addens nonnullas alias hujus rationes.

160. *Ad juramentum voluntarium, seu conventionale requiruntur, ac sufficiunt ea quæ ad transactionem.* — Resp. II. Ad juramentum litis decisorium voluntarium, seu conventionale requiruntur et sufficiunt ea, quæ requiruntur ad pactum, seu transactionem ut sic: nempe, ut sit capacitas ex parte deferentis, ac præstantis juramentum; simulque, ut jure non sit prohibitum super tali re transigere, seu præstare ejusmodi juramentum. Ratio est clara, quia juramentum istud speciem continet transactionis, l. II. ff. h. t. et consequenter ad illud sufficiunt ea, quæ ad transactionem.

161. *Ad juramentum litis decisorium judiciale requiritur ulterius approbatio judicis.* — Resp. III. Ad juramentum litis decisorium judiciale, seu quod pars parti defert in judicio, requiritur ulterius approbatio judicis, seu quod illud causa cognita sit a judice approbatum. Ita habetur l. *In bonæ fidei.* juncta Glossa, §. *Per judicem.* c. *de Rebus creditis.* et l. *Generaliter.* § *Sed juramento.* c. eod. ubi dicitur: « Sed juramento illato, cum hoc a partibus factum fuerit, et a judice approbatum. » Et sic (addit Glossa ibid. §. *Approbatum*) est judiciale: et ideo dicit, « approbatum, » quia quandoque non approbat; ut si ille, cui defertur, dicat se nescire veritatem, ut l. *Jusjurandum et ad pecunias.* ff. h. t.

162. *Ad juramentum necessarium plura requiruntur; et quæ?* — Resp. IV. Ad juramentum necessarium, seu ut istud a judice deferatur parti in supplementum probationis, plura requiruntur: copulative: nempe, ut causa sit dubia; hoc est, quod non sit probatum plene, sed semiplene. Item legalitas personæ, ut videlicet deferatur duntaxat personæ honestæ, atque integræ fidei: haud obstante, quod in juramento voluntario, ac

judiciali, de hoc non multum quæretur; quia ibi sufficit, personam, cui defertur juramentum, ab altera parte fuisse approbatam. Requiritur insuper ad juramentum necessarium, ut deferatur duntaxat personæ habenti veram scientiam causæ per proprium sensum corporeum. Item parvitas causæ: quia non est deferendum juramentum necessarium in causis arduis, magnique præjudicii; neque in causis criminalibus criminaliter motis, nec in causis spiritualibus. Item, ut sit petitum a parte; nisi forsitan ex officio, causa cognita, judex illud deferendum esse existimet. Verum de his plura paragrapho sequenti.

163. *Juramentum litis decisorium an possit deferri etiam per execrationem? Sic delatum nequit præstari per procuratorem.* — Utrum autem juramentum litis decisorium deferri possit aut debeat, per simplicem duntaxat Dei contestationem, vel etiam per execrationem (quod « juramentum execratorium » appellant) consulantur particulares singulorum tribunalium formulæ jurandi: nam quodlibet horum juramentum adducit Deum in testem veritatis; et si hæc deficeret, inducit gravissimum peccatum perjurii, irrogat infamiam juris, constituitque pejerantem reum æternæ pœnæ infernalis, nisi debitam egerit pœnitentiam. Quod autem deponens juramentum execratorium, sibi ipsi, vel alteri sibi charo, expresse mali quidpiam a Deo falsitatis vindice imprecetur, auget quidem malitiam perjurii: sed si fiat in justitia, judicio et veritate, nullo jure prohibitum est; sed est actus virtutis, religionis, atque protestatio quædam divinæ veracitatis, et justitiæ. Imo quandoque, præsertim pro rudioribus, consultum est, sub tali formula execratoria exigere juramentum litis decisorium: quia, si istud debite fiat, non solum caret omni nævo peccati, sed etiam magnam vim habet deterrendi homines a perjuriis. Unde notant doctores, quod ubi per decretum, seu statutum municipale, præscribitur forma juramenti cum imprecationibus, tale juramentum requirat personalitatem jurare debentis: et hinc ejusmodi juramentum non potest præstari per procuratorem cum speciali mandato, sed debet principalis jurare. Ita observationes forenses sac. senatus Pedemontani, observat. 62, n. 5, post Gratianum, consil. 28. n. 11. l. II; Hieron. de Laurent. *Decis. aven.* 7. n. 3; Carocium in tract. *de Jurament.* decis. quæst. 9. q. 13. princ.



n. 41. et Vivianum *Commun. Opin.* lib. I. opin. 429, n. 10.

## § VI.

DE JURAMENTO NECESSARIO, SEU A JUDICE IN SUPPLEMENTUM PROBATIONIS DELATO, EJUSQUE REQUISITIS.

164. *Regula est, quod juramentum in probationis supplementum deferri possit.* — Quæritur I. An, et quando deferri, ac peti, possit juramentum necessarium, seu supplementum? Resp. I. Regula est, quod juramentum in probationis supplementum a iudice deferri possit. Ita Socinus in *Fallentiis*, reg. 204. subjungens postmodum octoginta fallentias dictæ regulæ, quæ ex dicendis melius patebunt, ne simul prolatae lectoris confundant memoriam.

165. *Potest istud iudex deferre non tantum ad petitionem partis, sed etiam ex officio.* — Resp. II. Juramentum necessarium, sive supplementum, potest iudex deferre non tantum ad petitionem partis; sed etiam ex officio suo, sive neutra parte patente, quodcumque ita expedire iudicaverit. Ita Abbas cap. ult. § *Sane*. n. 15. h. t.; Mascardus de *Probat.* concl. 998. n. 47; Alexander consil. 53. n. 5. lib. I, Fachineus lib. I. *Controvers. Jur.* cap. xvi; Gailus lib. I. *Pract.* observat. 108. n. 4; Pirhing h. t. n. 98 et alii; quamvis Bartolus in l. *Admonendi*. n. 60. et Baldus ibid. vol. ult. et Jason in *Repetit.* n. 316. ff. de *Jurejurand.* concludens, quod iudex ex officio suo non possit deferre hoc juramentum; sed illud de necessitate debeat peti: quia (inquiunt) iudex regulariter officium suum non debet imperiri, præsertim ad privatam partium utilitatem nisi fuerit imploratum, l. 4. § *Hoc autem, iudicium*. ff. de *Damno infecto*: unde imputet sibi pars, quod in processu causæ post dicta testificata sibi testamentum deferri non postulaverit; nam jura vigilantibus, non dormientibus scripta sunt, l. *Pupillus*. ff. *Quæ in fraudem credit.* Verum his non obstantibus.

166. *Idque probatur, iudex usque ad prolationem sententiæ delet cuncta rimari.* — Probatur conclusio ex cap. ult. § *fin.* h. t. ubi iudicii arbitrio relinquitur, inspectis personarum, et causæ circumstantiis, juramentum istud reo, vel potius actori deferre; ergo, si ita expedire viderit, poterit illud etiam ex officio, ac nemine petente deferre. Accedit,

quod iudex usque ad sententiæ prolationem debeat universa rimari, can. *Judicantem*. 30. q. 5. et c. *Cum Joannes*. 10. § *Ad hoc autem de fide instrument.* Ac rei veritatem plena inquisitione discutere, l. *Judices oportet*. c. de *Judiciis*. Et quodcumque æquitas postulaverit, durante iudicio partes interrogare, l. *Ubicumque* ff. de *Interrogation. in jure faciend.* Ergo etiam deferre juramentum parti, ut veritate melius probata iudicet.

167. *Solvitur instantia.* — Nec obstat ratio oppositæ sententiæ, seu quod iudex non imploratus non teneatur impendere officium suum; tum quia satis est, quod pars ab initio, vel processu imploraverit officium iudicis pro administratione justitiæ, inserta libello clausula illa salutari, quæ communiter adijci consuevit: « Peto mihi jus et justitiam administrari; » prout respondet Abbas cit. n. 15. et And. Gailus lib. I. *Practic.* observat. 108, n. 6. et 7. referens, ita fuisse practicum in camera; tum quia ex officio incumbit iudici, ut si quod dubium circa deducta in iudicium supersit, illud per interrogaciones, et alios modos suppleri, et tolli procuret; ut jam dictum, ac notat Pirhing h. t. n. 98.

168. *Potest pars litigans petere delationem juramenti necessarii, dummodo petitio illa concipiatur impersonaliter.* — Per hoc tamen non negatur, quin etiam pars litigans possit petere delationem juramenti; dummodo petitio illa concipiatur impersonaliter, non autem concludendo, ut sibi deferatur. Et hujus limitationis ratio est: tum quia ad arbitrium iudicis pertinet inspicere, utrum reo, vel actori potius illud sit deferendum, cap. ult. § *Sane*, h. t. Tum quia, si quis personaliter peteret sibi deferri juramentum, hoc ipso redderet se suspectum; prout etiam testis sponte se ingerens, sese suspectum reddit. *Quæ omnia* § *Sed et si* ff. de *Procurat.* Abbas loc. cit. n. 15. et nonnulli alii apud Mascardum d. concl. 958. n. 57. Quamvis hoc ultimum neget Fachineus cit. lib. I. *Controvers. Jur.* cap. xvi in fine. et Pirhing h. t. n. 78. eo quod lege permittente possit quis petere delationem juramenti sibi fieri pro causæ debitæ decisione. Verum prudentius agi, si juramentum petatur impersonaliter, seu conditionaliter, in quantum expediat, censet cum aliis Mascardus, ubi supra. n. 58. et 59.

169. *Et fiat ante conclusionem in causa. Iudex tamen potest in juramentum necessarium deferre usque ad probationem sententiæ, quando*

*ita expedire iudicaverit.* — Resp. III. Etsi pars litigans, si petere voluerit delationem juramenti, eam petere possit usque ad conclusionem in causa et non amplius postea: nihilominus iudex ex officio potest juramentum necessarium deferre, quando ita expedire iudicaverit, etiam postquam a partibus conclusum fuit in causa, et usque ad prolationem sententiæ. Ita Jason in *Repetit.* l. *Admonendi*. n. 318. ff. de *Jurejurand.*; Gailus lib. I. *Practic.* observat. 108, n. 1 et 4; Mascardus cit. concl. 958, n. 50 et 55; Pirhing h. t. n. 99. cum communi. Ratio prioris partis est, quia per conclusionem in causa renuntiat posterioribus probationibus, et partibus os clauditur; ergo post dictam conclusionem nequit amplius pars petere delationem juramenti, cum hoc sit species quædam probationis: nisi forsitan hujusmodi juramentum supplementum jam antea fuisset petitum. Altera vero pars ex eo liquet: quia quoad iudicem nunquam censetur conclusum in causa, quin possit ex officio novas probationes admittere, vel eas partibus injungere, c. *Cum Joannes*. 10. § *Ad hoc autem de fide instrument.* estque uberius dictum tit. XIX. de *Probationibus*. § 6, n. 159, 161 et seqq. et 170. ubi ex professo agitur de conclusione in causa, et novis probationibus post eam regulariter non admittendis.

170. *Sed parte adversa præsentem, seu citatam et causam cognita.* — Solum his addendum est, quod inter alia requisita delationis juramenti necessarii in supplementum, etiam unum sit, ut illud a iudice deferatur parte adversa præsentem, vel saltem citatam, et interesse nolente; simulque causa cognita. Alexander consil. 122. n. 13. lib. II; Maranta, part. VI. *Speculi aurei*. actu 9. n. 41; Mascardus, cit. concl. 958, n. 60, allegans plures alios: et concordant dicta superius tit. XX. de *Testibus* § 13. n. 418 et seqq. ubi hoc ipsum de productione, ac receptione testium dictum fuit. Accedit textus in l. *In bonæ fidei*. c. de *Rebus credit.* ibi. « Inopia probationum, per iudicem jurejurando causa cognita res decidi oportet; » junctis dictis supra n. 162.

171 et 172. *Ad delationem juramenti necessarii requiritur, quod deficiant aliæ legitimæ probationes.* — Quæritur II. Utrum, et qualiter ad delationem juramenti necessarii requiratur, quod præcesserit semiplena probatio? Resp. I. Ad hoc, ut juramento necessario, ejusque delationi in supplementum locus sit, requiritur comprimis, quod

deficiant aliæ legitimæ probationes, simulque negotium saltem semiplene sit probatum. Ita Glossa c. *Ex insignificatione*, vers. *Clerici de Procurat.*; Joan. Andreas in c. *Sicut*. n. 2. et 3. et Hostiensis ibid. n. 2. et Fagnanus n. 3. de *Probation.*; Socinus loc. cit. *Fallent.* 54. et seqq.; Jason l. *Admonendi*. n. 75. et in *Repetit.* ibid. n. 34. ff. de *Jurejur.*; Menochius, lib. I. de *Arbitrar. judic. cas.* 190. n. 2. Barbosa. *Collectan.* ad d. c. *Sicut*. n. 4. et seqq. de *Probation.*; Mascardus de *Probat.* concl. 938. n. 3. et seqq. cum communi.

Prior pars patet ex c. *Sicut*. h. t. ubi decisum reperitur, quod « tunc demum ad hujusmodi (juramenti) sit suffragium recurrendum, cum aliæ legitimæ probationes deesse noscuntur: » estque proxime dictum n. 109. et 110. Accedit ratio: quia probatio illa, quæ habetur ex juramento, est probatio privilegiata; hoc est, in defectu aliarum probationum facta ex testimonio suo in propria causa, contra regulas communes. « Ne quis in propria causa » etc., juxta dicta n. 151. ergo hoc ipso, quamdiu possunt haberi aliæ legitimæ probationes, locum non est huic juramento, utpote deferendo duntaxat in supplementum, seu defectum aliarum probationum. Concordat textus in l. *In bonæ fidei*. c. de *Rebus creditis*: ubi dicitur, « quod inopia probationum (emergente, ut explicat Glossa) per iudicem jurejurando causa cognita res decidi oportet. »

173. *Ac præcesserit semiplena probatio.* — Altera vero pars, requirens ad delationem juramenti supplementarii, quod negotium saltem semiplene sit probatum, communiter post Glossam cit. l. *In bonæ fidei*. vers. *Decidi*. c. de *Rebus credit.* suadet ex eo. Quia si actor nihil probavit, absolvendus est reus, etiamsi is nihil præstiterit, l. *Qui accusare*. c. de *Edendo*. et c. *Cum Ecclesia* fin. de *Causa possess.* unde nec opus est, quod tunc reus juret. Si autem actor plene probavit, reus est condemnandus, cit. c. *Sicut*. n. 2. et c. *In præsentia*. 8. de *Probation.* ac proinde etiam in hoc casu non est locus juramento supplementario. Remanet proinde, quod tunc possit deferri juramentum necessarium, sive in supplementum, quando præcesserit semiplena probatio, v. g. per unum testem omnino exceptione majorem; simulque aliæ legitimæ probationes haberi non possint. Prout est casus in c. *Ex insinuatione* 3. de *Procuratorib.* ubi archidiacono, qui duobus clericis præsentibus procuratorem suum sese revo-